

sacramenti, necesse est, ut sit per partem determinatam, neque esse potest per partem indeterminatam.

5. *Ad argumenta respondetur.* — *Prima solutio.* — Ad rationem ergo illius sententiæ respondetur, etiam si gratis demus, sacramentum intrinsece consummari in tempore immediate ante instans, nihilominus non efficere gratiam illo modo, quia est repugnantia in tali modo efficiendi, ut ostensum est. Ad confirmationem, eadem ratione dicitur esse impossibile, gratia desinere illo modo. Ad casum vero ibi confictum, primo responderi potest, negando obligationem præcepti affirmativi posse illo modo extrinsece terminari; nam illa admissa, videtur sane argumentum factum, in rigore metaphysico sumptum, non parum urgere. Potest autem reddi ratio ob quam hic modus obligationis imponi homini non possit, quia obligatio debet esse accommodata actibus humanis, quibus implenda est. Secundo admissa illa obligatione, respondetur, transgressionem illius præcepti committi ante instans mortis, non tamen immediate ante illud instans, sed in aliquo instanti, quod, licet a nobis designari non possit, in se tamen certum ac definitum est, et Deus illud agnoscit. Nec refert, quod inter illud instans et aliud instans mortis intercedat aliquod tempus; nam illud potest esse tam breve, ut in eo non possit moraliter impleri præceptum. Quia ad eliciendos hujusmodi actus, moraliter et humano modo loquendo, indiget homo aliquo tempore, quod ad deliberandum et operandum necessarium est, et ideo, quoniam pervenit homo ad illas temporis angustias, si adhuc est negligens et omittit actum præceptum, moraliter constituitur in statu, in quo non potest præceptum implere, et ideo tunc peccat. Quæ quidem responsio moraliter satisfacit, considerando res humanas, prout ex natura rei præcipi et fieri possunt. Urgeri tamen posset argumentum, vel in Angelis, vel in anima separata, vel in homine de absoluta potentia Dei. Sed non oportet in his immorari, nam si alia responsio adhiberi non possit, prior est sufficiens.

6. *Secunda sententia.* — *Refellit.* — Secundus modus dicendi est, sacramentum efficere gratiam in tempore aliquo certo ac determinato, in quo ultima quædam particula ipsius sacramenti conficitur, quæ, licet successiva sit et partes habeat, nihilominus per totam illam fit gratia, quia per illam consummatur sacramentum. Sed hæc responsio nullo

modo probari potest: primo quidem, quia impossibile est, primam inceptionem rei permanentis et quæ tota simul fit, coexistere tempori determinato; gratia autem, quæ per sacramentum fit, est res permanens et tota simul efficitur, quia in agente est virtus sufficiens, et in subjecto non est resistentia, et ipsa ex natura sua postulat ita fieri. Antecedens patet primo, quia talis inceptio nec esset per primum esse rei, quæ fit, nec per ultimum non esse. Prior pars est per se nota, quia si res incipit per primum sui esse, secundum coexistentiam ad nostrum tempus, jam non incipit in tempore, sed in instanti. Posterior pars probatur, quia, si incipit per ultimum non esse, ergo nunc non est, et immediate post hoc erit; sed illud tempus, quod dicitur esse immediate post hoc instans, non potest esse determinatum, quia non clauditur inter duo instantia; nam in quolibet instanti signabili in illo tempore immediato post hoc, est verum dicere, antea incepisse rem illam, quæ fit immediate post hoc instans. Unde confici potest generalis ratio, quia quodlibet determinatum tempus clauditur inter duo instantia et dividi potest in duas partes, quæ alio instanti medio conjunguntur. Si ergo res incipit in illo tempore et incipit tota simul, ergo signato instanti medio illius temporis, jam in illo tota res inceperat; ergo non incipit, sed conservatur in reliqua parte temporis. Atque idem argumentum fieri potest de reliqua parte signata, et de quacumque alia, quantumvis minima; non potest igitur determinata pars temporis esse mensura adæquata inceptionis, nisi res, quæ fit, per partes fiat, seu per intensionem successivam.

7. *Prima objectio.* — Dicitur potest, hoc argumentum recte convincere de inceptioe in rigore sumpta; non vero de inceptioe seu effectioe, quæ necessario habet adjunctam aliquam conservationem, qualis est omnis inceptio rei permanentis, quæ licet in se indivisibilis sit et tota simul, secundum coexistentiam tamen ad nostrum tempus fit per ultimum non esse, quia tunc necesse est, ut illa actio duret pro aliquo tempore determinato et incluso inter duo instantia, saltem extrinseca. Quia, sicut incipit per ultimum non esse, ita necesse est, ut ipsa actio seu effectio aut dependentia, cum non semper duret, desinat esse in aliquo instanti intrinseco vel extrinseco; ergo necesse est, ut duret saltem tempore incluso inter illa duo instantia. Illa vero actio habet rationem inceptionis, solum

prout intelligitur coexistere tempori indeterminato, quod sequitur immediate post instans; prout vero durat majori tempore determinato, habebit potius rationem conservationis. Sic ergo in proposito dici potest, gratiam quidem fieri per sacramentum pro tempore aliquo determinato, in quo durat ultima quædam particula sacramenti, per quam fit gratia; illa enim particula non potest efficere in instanti, quia est successiva, et ideo partes, quæ antecederent illud instans, non possent efficere, quia jam non essent, nec partes quæ sequuntur illud instans, quia nondum sunt; ut ergo tota illa pars sacramenti efficiat, necesse est, ut actio tandiu duret, quamdiu durat successio illius partis, quia non potest gratiam efficere, nisi quamdiu est; illa vero actio dicitur incipere per ultimum non esse in ratione inceptionis, atque sub hac ratione non fieri tempore determinato, sed indeterminato; tamen absolute sub ratione effectioe, quæ aliquam conservationem includit, durabit pro aliquo tempore determinato.

8. *Solutio.* — *Prima objectio.* — Sed licet hæc doctrina in aliis rebus vera sit, tamen in præsentibus non potest habere locum. Primo, quia impossibile est, variato agente, non variari actionem, ut ex principiis philosophicis constat; si autem sacramentum, per aliquam determinatam partem, ultimam, gratiam efficit, sicut illa pars successive fit, ita principium seu instrumentum illius actionis est in continua variatione; ergo et actionem, quæ ab illo procedit, necesse est continue variari; non ergo potest eadem indivisibiliter permanere toto illo tempore, sicut dicebatur. Sed responderi potest, variari quidem actionem illam, ut est dependentia ab agente, atque hoc modo successive fieri et continue mutari; tamen ex parte termini, qui est gratia, non esse successivam, quia gratia tota simul fit, per totam illam actionem et per quamlibet partem ejus. Quæ responsio, in communi etiam sumpta, difficilis quidem est ad intelligendum, quia vix concipi potest, quomodo actio quæ tota simul incipit ex parte termini, ex parte agentis sit in continua successione et mutatione. Vix tamen impugnari potest, quia non videtur tam apertam involvere contradictionem. Sed, licet hoc ita sit in genere loquendo, tamen in præsentibus probari non potest; sumo enim totam illam particulam ultimam sacramenti, per quam dicitur fieri gratia, et inquiri, an in priori dimidia parte ejus sit consummatum sacramentum, necne; nam si non est, ergo illa

prior pars non potest efficere gratiam. Quia quamdiu non est sacramentum factum, non datur gratia; alias dici posset, gratiam fieri a principio, ex quo sacramentum incipit, quia non est major ratio de una parte, quam de alia, si in utraque sacramentum est inchoatum et nondum perfectum; si autem in priori parte sacramentum est jam consummatum, ergo alia, quæ postea subsequitur, non est pars sacramenti; ergo nec efficit effectum sacramenti. Responderi potest, in priori parte esse sacramentum perfectum essentialiter, non tamen esse omni ex parte integrum. Sed hoc non recte dicitur, quia, ut forma sacramenti, verbi gratia, sit essentialiter completa, necesse est ut sit consummatus et absolutus sensus ejus; quod si ita sit, talis forma etiam est integra et omni ex parte completa; unde si fingeremus prolationem verborum non ultra progredi, sacramentum erit omnino integrum, et perfectum, et similiter effectus ejus; si autem sensus formæ nondum est consummatus, sacramentum neque est integrum, neque essentialiter completum. Atque idem argumentum fieri potest ex parte materiæ. Nam si ablutio, verbi gratia, tanta est ut sufficiat ad essentiam baptismi, cum sola illa, si adjungatur forma, est integer baptismus, et omnis ablutio, quæ postea sequitur, neque ad essentiam, nec ad integritatem baptismi pertinet, sed per accidens illi conjungitur; si vero ablutio non est tanta, quæ sufficiat ad essentiam baptismi, neque etiam erit sufficiens ad dandum effectum, donec compleatur.

9. *Tertia sententia.* — Tertius modus dicendi est, sacramentum conferre gratiam in tempore indeterminato, scilicet per ultimum non esse ipsius gratiæ, quia sacramentum eodem modo consummatur in tempore indeterminato. Quod potest ita explicari, primo ex parte materiæ sacramenti, si constituamus, id quod facile fieri potuit, abluitionem, verbi gratia, quæ propter sui parvitatem non sufficit ad essentiam sacramenti, terminari ad minimam extrinsece, ita ut vere dicere possimus: Tanta ablutio non sufficit ad essentiam sacramenti, quælibet autem major sufficit. Hoc enim posito sequitur, facta illa minima abluitione, verum esse dicere: Nunc non est sacramentum, et immediate post hoc erit sacramentum; ergo eadem ratione erit verum dicere: Nunc non est gratia, et immediate post hoc erit gratia; incipiet ergo per ultimum non esse, et fiet in tempore indeterminato, quia illud *immediate post hoc*, non designat

determinatam temporis quantitatem. Secundo idem argumentum fieri potest ex parte formæ, quia prope finem prolationis verborum intelligi potest dari aliquod instans, in quo sit verum dicere: Nunc non est consummatus sensus, seu significatio verborum, et immediate post hoc erit consummatus; ut verbi gratia, in forma baptismi, non intelligitur consummatus sensus, donec incipiat proferri ultima particula dictionis ultimæ et totius formæ, ut est particula *ti*, in dictione *Spiritus Sancti*. Statim vero ac incipit proferri illa particula, jam intelligitur consummata significatio formæ, quia jam est aliquid illius, quod sufficit ad imprimendam speciem totius propositionis. Illa autem particula incipit proferri per ultimum non esse, quia successive profertur. Ergo eodem modo consummatur sacramentum et fit effectus ejus.

40. Contra hanc sententiam fieri solet generale argumentum, quia non potest res permanens, quæ tota simul fit, incipere per ultimum non esse. Sed hoc argumentum non existimo esse efficax, quia si causa, quæ efficit hujusmodi effectum, ita applicetur, ex parte effectus non censeo esse repugnantiam, quod ita fiat, quia res permanens habet suam intrinsecam indivisibilem durationem, quæ potest et instanti et tempori nostro coexistere, et ita, quod in se est, potest utroque modo incipere, si ex parte agentis non sit repugnantia. Nihilominus in præsentia non placet hic modus dicendi, quia necesse est, ut coincidat cum præcedenti, et ideo eisdem rationibus refellendus est. Assumptum explicatur, primo quia quando actio, quæ est in se indivisibilis, secundum coexistentiam ad nostrum tempus incipit per ultimum non esse, necesse est ut in re duret per aliquod tempus determinatum, cui coexistit. Sed effectio gratiæ est actio indivisibilis, ut ostensum est, quia gratia, quæ est effectus sacramenti, tota simul datur; ergo, si illa actio incipit per ultimum non esse, durat pro aliquo tempore determinato, quia non semper durat; ergo desinit esse in aliquo instanti intrinseco, vel extrinseco; ergo durabit toto tempore interjecto inter illa duo instantia, quod tempus certum est, ac determinatum; ergo hæc sententia necessario coincidit cum præcedenti.

41. Secundo idem declaratur, quia impossibile est, sacramentum consummari illo modo, scilicet per ultimum non esse ultimæ particulæ consummantis sacramentum, quia necesse est ut in aliquo instanti vel tempore

sit verum dicere sacramentum esse, alias nunquam esset, quia non potest esse, nisi vel in tempore vel instanti; sed postquam sacramentum est, desinit esse; ergo necesse est, signari aliquod instans, quod dividat esse sacramenti a non esse. Ergo necesse est, ut illud instans sit aut primum non esse sacramenti, aut ultimum esse ejus; quia nulla res potest desinere esse, nisi alterutro ex his modis, ut supra probatum est; ergo non potest sacramentum incipere esse in ultimo non esse ultimæ particulæ ejus. Nam inquiri, an illud instans, quod est ultimum non esse gratiæ, vel postremæ particulæ sacramenti, sit primum esse sacramenti, vel ultimum non esse ejus. Primum dici non potest juxta hanc sententiam, tum quia, si in illo instanti jam est sacramentum, ergo in illo instanti jam est quidquid est de essentia sacramenti; ergo pars, quæ postea subsequitur et tunc incipit extrinsece, non pertinet ad constitutionem sacramenti; tum etiam, quia si tunc jam est sacramentum, ergo in eodem instanti erit effectus sacramenti, quia sacramentum, simul atque existit, efficit. Si vero dicatur secundum, scilicet, hoc instans esse ultimum non esse sacramenti, necesse est, ut post illud designari possit aliquod instans, in quo desinat esse sacramentum, quia non potest in eodem desinere, in quo incipit extrinsece, ut per se notum est, quia in illo instanti nondum res est, et ita illud instans nec potest esse primum non esse rei, cum potius dicatur esse ultimum non esse illius; neque etiam potest esse ultimum esse rei, cum nondum sit; ac denique quia nulla res potest desinere esse, antequam esse supponatur; necesse est ergo, ut designetur aliud instans, in quo desinat esse sacramentum; ergo durabit sacramentum toto illo tempore determinato, quod est inter illa duo instantia; ergo non fuit sacramentum consummatum per illam particulam, ut incepit esse in tempore indeterminato, sed ut consummata est toto illo tempore determinato. Patet hæc ultima consequentia, quia, si illo modo fuisset consummatum sacramentum, ergo in dimidia parte illius particulæ fuisset consummatum, et in quacumque alia minori designata; consequens autem ostensum est falsum, quia si prius fuisset consummatum sacramentum, prius etiam esse desiisset, quia cum sacramentum successive fiat, statim ac consummatur, desinit esse; repugnat ergo, sacramentum consummari illo modo in tempore indeterminato, quia illud

necessario erit revocandum ad tempus determinatum ex parte desinitionis sacramenti. Non potest autem totum aliquod tempus determinatum esse secundum se totum, et secundum quamlibet sui partem esse consummativum sacramenti, quia hoc ipso, quod pars prior sufficit ad consummandum sacramentum, reliquæ non requiruntur; ergo eadem ratione repugnat effectum sacramenti incipere illo modo, quia in hac sententia supponitur effectus sacramenti incipere simul cum ipso sacramento. Tertio, confirmari potest hic discursus, quia, ut supra dicebam, sacramentum in re esse debet aliquid determinatum; cumque sit instrumentum gratiæ, oportet ut illam efficiat per aliquam rem determinatam; ergo, si illa pars, per quam sacramentum efficit gratiam, est successiva, necesse est, ut duret aliquo tempore determinato; ergo toto illo durabit effectio gratiæ, quod supra improbatum est, atque ita necesse est, ut hæc tertia sententia cum secunda coincidat.

42. Unde ad fundamentum hujus sententiæ negatur, minimam ablutionem seu materiam sacramenti, designandam esse illo modo, sed intrinsece, scilicet, tanta ablutio sufficit et minor non sufficit; nec potest aliter intelligi, quia sicut sacramentum in re debet esse certum, ac determinatum, ita et materia ejus intrinseca. Item, quia quantitas materiæ non determinatur, nisi quatenus necessaria est, ut sit vera ablutio vel unctio hominis seu partis illius; ad hoc autem requiritur, quod fiat ut minimum in tanta quantitate. Atque eodem modo respondetur ad alteram partem de forma. Nam significatio ejus non perficitur per indeterminatam inceptionem ultimæ particulæ, alias non redderet sensum certum; ergo consummatur sensus et significatio in aliquo instanti, in quo vel tota ultima particula, vel aliqua sufficiens pars ejus prolata est.

43. Quarta sententia. — *Res præterita potest esse causa per virtutem relictam, quod nequitiam potest futura.* — Quartus ergo modus dicendi est, sacramentum conferre gratiam in unico instanti, non in quo sacramentum primo est, aut ultimo non est, sed in quo primo non est. Cum enim sacramentum successive fiat, non aliter est, ac desinit esse, quam entia successiva, et ideo tantum est, dum fit in temporis successione, in qua non potest dare gratiam, quia id repugnat, ut declaratum est in omnibus modis supra tractatis. Rursus in nullo instanti illius successione

potest dici, sacramentum esse consummatum, quia semper superest aliquid efficiendum, quod est de essentia illius, et propterea in nullo etiam illorum instantium, in quo fit sacramentum, potest gratiam conferre, quia non dat illam, donec sit essentialiter perfectum, quia sicut antea non habet consummatam significationem suam, ita neque efficaciam. Denique, quia si semel fieret gratia in instanti intermedio, licet postea non consummaretur sacramentum, maneret effectus ejus, et ita haberetur effectus sacramenti sine vero sacramento, quod est impossibile; superest ergo, ut gratia sacramenti conferatur in instanti, in quo consummatur sacramentum, quod est primum non esse illius; nam in rebus successivis, ut est oratio, dies, etc., illud instans, in quo consummantur, est primum non esse earum. Ita docet Soto in 4, d. 9, quæst. 2, art. 7, circa finem. Quæ sententia facile sustineri posset, si opinaremur sacramenta non esse causas physicas gratiæ, sed morales, quia in causis moralibus nullum est incommodum, quod effectus earum conferatur, postquam illæ esse desierunt; tamen, si supponamus, sacramenta esse causas physicas, non potest hæc responsio sustineri; nec Soto et aliqui Thomistæ, qui hæc duo conjungunt, consequenter in eo loquuntur, quia nihil potest efficere, quando non est. Primo, quia nihil potest efficere, nisi habeat virtutem agendi, vel naturalem, vel obedientialem; sed quod non est, non habet naturalem virtutem agendi, ut est per se notum, nec obedientialem, quia necesse est, ut hæc fundetur saltem in aliqua entitate; ergo quod entitatem non habet, non potest assumi ut instrumentum ad agendum. Secundo, quia quod fit ab alio, pendet ab illo in suo esse; sed res, quæ existit, non potest physice, ac realiter pendere a re, quæ non existit; quia rem unam pendere ab alia physice et effective, intrinsece includit, quod existentia unius rei ita innitatur in existentia alterius, ut ablata una, tollatur altera, quæ ab illo pendet. Tertio, quia fieri non potest, ut res, quæ futura est, efficiat antequam sit; ergo similiter repugnat, ut res quæ præteriit, efficiat, quando jam non est, nec in se, neque aliqua reali virtute; patet consequentia, quia res, quæ fuit, postquam esse desiit, tam est omnino nihil, quam res futura, quamdiu facta non est; imo illa, quæ jam fuit, quodammodo magis distat ab ente reali, quia jam non potest habere esse per causas naturales, sicut potest res futura.

Quod autem res aliquando nabuerit esse, si nunc illud non habet, neque in se, neque in aliquo instrumento, seu virtute, tam est impertinens ad præsentem actionem, sicut quod res habitura sit esse, quod nondum habet. Unde hæc sola vera differentia inveniri potest inter rem præteritam et futuram, quia res præterita, quia aliquando habuit esse, potest relinquere virtutem aliquam, quæ vice sui efficiat, quam non potest præmittere res futura, quæ nondum habuit esse; at vero si res, quæ fuit, nullam virtutem reliquit, non magis potest agere, quam si nunquam fuisset, quia illud fuisse, nihil omnino est, nisi denominatio pure extrinseca, quæ non potest esse sufficiens ratio agendi. Et hinc consequenter fit, si res jam omnino desiit esse, nihil omnino referre, quod inter esse præteritum, et non esse, sit magna vel parva distantia; nam repugnantia non oritur, nisi ex ipsa ratione non entis; quæ cum nihil sit, non potest esse origo seu fons alicujus esse. Et hæc ratio eandem vim habet, sive præterierit esse ante multum, sive ante parvum tempus. Et idem est etiam, si præcesserit in tempore immediato ante præsens instans, quia hæc differentia solum est secundum magis vel minus, in propinquitate vel distantia; nam præsens instans re vera habet durationem indivisibilem distinctam a toto tempore præcedenti. Non enim sunt simul, sed quando est præsens instans, jam præteritum tempus omnino non est; ergo, quando ex duabus rebus una incipit in præsentem instanti, alia vero desiit esse in tempore immediato ante hoc instans, non potest illa ab hac dependere in efficientia et existentia, quia duæ illæ res nunquam coexistunt simul, nec se tangunt (ut ita dicam) secundum coexistentiam, et consequenter nec secundum efficientiam. Quia hæc intrinsece et essentialiter pendet ab existentia, de qua paulo inferius, et in disp. seq. redibit sermo.

44. *Quod objicit Soto refellitur.* — Neque est verum, quod Soto supra ait, in naturalibus causis interdum accidere, ut res, quæ immediate ante hoc fuit, nunc operetur; sicut motus, inquit, est causa caloris, et non efficit illum, nisi in primo non esse sui; et alii ponunt exemplum in dispositionibus, quæ præcedunt immediate ante instans generationis, quæ licet in instanti generationis non manent, efficiunt tamen formam, quæ in illo instanti producit. Sed utrumque exemplum est falsum; nam motus non est causa caloris

per se, sed per accidens; unde præter illum est alia causa per se; fieri autem potest, ut calor successive fiat simul cum ipso motu, si subjectum ratione illius successive disponatur, vel causa per se efficiens calorem successive applicetur. Quod si aliquando incipit calor in termino motus, ideo est, quia per motum relinquitur subjectum dispositum ad calorem, et causa per se efficiens calorem in eodem instanti et existit et applicata manet. De dispositionibus autem, primo verius est, non corrumpi, sed manere in instanti generationis. Secundo admissa probabili sententia, quod illæ pereant in instanti generationis, non est probabile, illas effective concurrere ad introductionem formæ, tum propter rationes factas, quia jam non sunt, neque aliquid vice sui relinquunt; tum etiam quia sunt insufficientes ad introducendam formam, quia non habuerunt ultimum terminum et complementum necessarium ad introductionem formæ. Sed de hoc plura in philosophia.

45. *Ultima tenendaque sententia.* — Ultimus ergo ac verus dicendi modus est, sacramentum conferre gratiam in instanti, in quo non extrinsece, sed intrinsece perficitur ac consummatur; quanquam enim sacramenta extrinsece fieri incipiant per ultimum non esse ablutionis vel prolationis verborum, etc., consummantur tamen in uno instanti, in quo fit aliquid indivisibile, positivum et reale, quo intrinsece completur sacramentum, et in eodem instanti gratia confertur. Probo singula: et primum quidem ex philosophia constat, dari in omni motu successivo, quando pervenitur ad terminum ejus, aliquam mutationem instantaneam, qua consummatur terminus illius motus, quia per illam mutationem acquiritur in illo instanti aliquid indivisibile, quod in toto anteriori tempore non erat acquisitum; ut verbi gratia, in intensione acquiritur terminus caloris ut duo, vel ut tria, et sic de aliis; et ideo licet illud instans dicatur primum non esse motus, quatenus ens successivum est, tamen est primum esse termini consummati et perfecti, et ideo vocatur ultimum mutatum esse motus. Quocirca idem videre licet in materiis, et formis sacramentorum; nam materiæ illæ, quæ consistunt in usu, per motum localem, vel contactum aliquem perficiuntur, ut ablutio vel unctio; intelligi autem potest, contactum sufficientem perfici, aut fieri in aliquo instanti terminante motum præcedentem, qui terminus licet ex-

trinsecus sit motui præcedenti, est tamen intrinsecus contactui, qui aliquid reale est et intrinsecum sacramento. Similiter forma sacramenti est oratio aliqua, quatenus reddit integrum et perfectum sensum, qui sensus in aliquo instanti intrinsece consummatur per aliquem sonum, qui in eo instanti additur et realiter existit, tanquam realis terminus totius soni præcedentis. Cujus signum est, quia in eo instanti ita consummatur oratio, ut in eo multiplicentur seu efficiantur species in auditu. Ergo durat in illo instanti aliquid rei, pertinens ad complementum verborum seu orationis.

46. *Sacramentum in aliquo instanti existere, necesse est.* — *Prima objectio.* — Secundo hoc declaratur. Quia necesse est signare aliquid instans, in quo sit verum dicere, sacramentum esse, quia inconveniens videtur, rem aliquam realiter fieri, et nunquam de illa affirmari posse, quod existat. Sacramentum autem realiter fit, et quamdiu fit, si aliquid illius superest faciendum, nondum existere dicitur, quia nondum tota ejus essentia facta est. In quo differt a motu, et tempore, et hujusmodi entibus successivis, quæ tunc existere dicuntur, quando aliquid eorum factum est, et aliquid superest faciendum. Ergo oportet ut sacramentum dicatur esse, saltem in illo instanti, in quo perficitur, quanquam post illud instans, ultra futurum non sit sacramentum, neque aliquid illius restet efficiendum, quia in eo instanti perficitur et consummatur tota significatio sacramenti. Ergo necesse est ut in eo instanti fiat et sit aliquid intrinsecum sacramenti. Quia, si nihil illius esset, nulla ratione dici posset, tunc existere sacramentum. Dices: si tunc existit sacramentum, cum antea non esset, ergo tunc incipit esse sacramentum; ergo incipit per primum sui esse; ergo non est ens successivum, nam repugnat entia successiva fieri per primum sui esse; nam, quod ita fit, totum simul fit. Unde etiam sequitur, quod ante illud instans sacramentum non fiebat. Rursus immediate post illud instans non erit sacramentum, ut dictum est; ergo si tunc est sacramentum, desinit esse per ultimum sui esse, quod etiam repugnat rebus successivis, ut constat ex communi sententia philosophorum.

47. *Sacramentum non in omnibus imitatur entia successiva.* — *Sacramentum in eo instanti esse dicitur, in quo habet perfectam significationem.* — Propter hæc aliqui renuunt

concedere, in illo instanti sacramentum existere, etiamsi aliquis realis terminus ejus existat, qui cum sit indivisibilis, et ideo sufficiat, ut in eo instanti fiat gratia actione indivisibili, non tamen sufficit, ut dicatur existere sacramentum, quia nihil illius faciendum superest; sicut etiam, quamvis in termino motus aliqua mutatio indivisibilis superaddatur toti motui præcedenti, non tamen dicitur in eo instanti esse motus, quia nihil amplius superest faciendum et hæc est natura entis successivi, ut tantum esse dicatur, quando aliquid ejus factum est et aliquid faciendum superest. Verius tamen est quod asseruimus, quia non oportet ut in omnibus sacramentum imitetur entia successiva. Nam sicut in hoc non servat similitudinem cum illis, quod illa dicuntur esse, dum fiunt, et aliquid ex eis superest faciendum, sacramentum autem minime, ita e contrario non oportet ut in eo servet similitudinem, quod sicut illa non sunt in suo termino, ita etiam sacramentum tunc non sit; quin potius, quia in illo est dissimile, debet etiam esse in hoc, quia oportet ut in aliquo instanti dicatur jam existere; cum ergo hoc non verificetur in intermediis instantibus, debet saltem verificari in illo instanti, in quo sacramentum perficitur et consummatur. Nam ex his differentiis inter sacramentum et alia entia successiva colligimus, sacramentum requirere quidem successionem, non tamen in sola illa consistere, sed in ea, ut intrinsece terminata, usque ad tale instans, in quo intrinsece perficitur aut sensus verborum, aut contactus ex parte materiæ necessarius, aut denique tota significatio sacramenti. Erit ergo sacramentum signum quoddam, quod successive fit et intrinsece terminatur, in quo termino habet perfectam significationem suam. Et ideo in eo esse dicitur, quia signum tunc est quando significat. Atque hujus rei exemplum esse potest oratio vel propositio, quæ ante instans, in quo consummatur sensus ejus, non potest dici esse, quia nondum significat verum vel falsum; in illo vero instanti proprie dicitur esse, quia tunc habet veram significationem.

48. *Objectioni satisfi.* — Ad argumentum ergo respondeo, in illo instanti incipere esse sacramentum per primum sui esse, in esse perfecto, quamvis secundum esse imperfectum antea fiat; sicut calor ut octo incipit esse per primum sui esse, quia tunc terminatur, et perficitur, licet antea fieret, quoad latitudi-